



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

MERITIS CELEBRATUR

AD DIGNITATEM ET HONOREM
BASILICAE MINORIS EVEHITUR
ECCLESIA CATHEDRALIS ZACATECENSIS
B. MARIAE V. IN CAELUM ASSUMPTAE SACRA

Ad perpetuam rei memoriam. — Meritis celebratur laudibus princeps templum Zacatecense, quod, ut paroecialis aedes saeculo xviii conditum Almaeque Deiparae sideribus receptae dicatum, anno MDCCCLXVII ad cathedralis ecclesiae dignitatem provectum est. Quod invisentes magna incedit admiratio propter eximium genus structurae, quod, « barocium » appellatum, singulari Mexicana architectandi ornandique ratione insigne est ; quoniam ob rem hoc templum in sacris eius ditionis monumentis praecipuum obtinet locum. Cui operi egregio decus addunt praeclara simulacra B. Mariae V. Dei Genetricis, cui nomen « de los Zacatecas » vulgo adicitur, et Christi Crucifixi, quae a populo fidei quattuor iam saecula impenso coluntur studio pietatis. Unde fructus spirituales uberrimi et rebus in adversis solacia non modica sunt percepta. Sacri etiam ministri, qui sufficiant numero, eidem deserviunt templo: nec deest supellex pretiosa divinis ritibus apta. Quibus permotus, Venerabilis Frater Antonius López Avila, Zacatecensis Episcopus, Nos rogavit, ut ecclesiam tot laudibus illustrem, Basilicae Minoris nomine ac iure donarem. Quibus precibus libenti animo obsecundantes, Nos, ex Sacrae Rituum Congregationis consensu, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, cathedrale templum Zacatecense, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae consecratum, titulo ac dignitate Basilicae Minoris afficimus et decoramus, omnibus adiunctis iuribus et privilegiis, quae templis eodem honore insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces lugiter exstare ac permanere; suosque plenos

atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime siifragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si ηιιδγιαm secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrnm, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Iulii, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri primo.

D. Card. TARDINI
a publicis Ecclesiac negotiis